

17403
I | Mag. St. Dr. | P

Mirowski Pauli: Gratulatio Stanislao Łoza Ep. Argiv. Suffraganeo nunc primum creato Luceoriensi.

PANEG. et VITAE
Polon.
№ 501.



GRATVLATIO

Per Illustri ac Reuerendissimo Dño,

D. STANISLAO ŁOZA

DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPO ARGIVENSI, SVFFRAGANEO NVNC primum Creato Luceoriensi, Præposito Olycensi, & Tykocinensi; &c. &c.

A


R. P. PAVLO MIROWSKI Artium Magistro & Philosophiæ Doctore Conscripta, & veluti animi lætitia ob collatã honoris amplitudinem gestiñtis Symbolum Consecrata.

LEOPOLI

In Officina Typographica Ioannis Szeligæ, ARCHIEPISCOPALIS Typographi, Anno Dñi. 1633.

AD STEMMA GENTIS ŁOZARUM ALLUSIO.

BIBLIOTH: UNIV. JAGELLONICAE



17403 I

Lumen per auras torserat aureum
Defixa fastis Fama perennibus
Lozæque puppis æstuantes,
Attonita stupuit labores
At quis colossos, dixit, in inclytum,
Conferre nomen me vetat inuidus?
Fasces tiaratos reponam,
Ut meritas haberet corollas.



cœlu
adiit
ocul
tron
prius
ante
Ani
ber,
hum
piat,
re stu
donc
corM
desic
illis l
tipoc

Symbolum Honoris.



LCIDES ILLE SENECIanus, vt immortalem animi Generosi post fata relinqueret recordationem, Perillustris ac Reuerendissime Antistes, vbi & præclusos ad cœlum aditus aperuit, & intentatos Auerni lacus adiit, & immanes Cerberi mugitus, & monstra oculis furentia, glorioso certamine fudit, tot Latronum & Tyrannorum domitor fortissimus, non prius aliquod honoris sui principium esse voluit; antequam laborum nullam requiem inueniret. Animosa scilicet Hæroici pectoris virtus, hoc habet, vt paruis nonquã possit saturari meritis: nisi humiles perosa casas in sublime tendat, altum sapiat, excelsum meditetur, & supra omnes eminere studeat. Et hoc fuit quod magnum illum Macedonem vltima vsq; pepulit in terrarũ spatia, cuius cor Magnificum, quia gloriæ insatiabili tenebatur desiderio, nullis poterat extingui fluminibus; nisi illis lacrymis quas agnito alterius terræ apud Antipodas sinu effudit; æstuantis animi cupiditatem

restinxisset; Hoc inuictum Romani militis terrorem Annibalem per imperuias Alpium Colles traduxit: & quia in arduis virtus habitare consueuit montibus; nō prius suæ illi gloriæ Colossos primis in gradibus aperuit; priusquā difficillimū; & nullius antea virtutibus perfractum iter attentasset. Hoc illud fuit quod Codro vitam, Horatio salutem, Themistocli somnum eripiebat: quorum alter sui immemor, in densissimas hostium manus, pro communi salute & tranquillitate Patriæ; Alter vitæ, quâ nihil poterat esse carius oblitus, in profundam voraginem vltro sese demiserê. An non & Themistocles, ad Milciadis trophæa frequenter obstupuit? & quem ante nullus dux, nullus author, nullum classicum, nullus lituorum fragor, ad præclara facinora compellere potuit; eum mortui viua tamen semper præconia, Milciadis triumphi, laudesq; ad tibiam decantatæ, & Ducem simul, & exemplar æternum rectefactorum posteris reddiderunt. Nouerat sanè pectus illud animo suo, virtutem, quam in alijs suspiciebat, si in suo sedem haberet corde, reliquis magnæ futuram fuisse & imitationi & admirationi. Atq; cum eos tātum expectent gloriosa præmia, quibus laboriosa sunt pro honore certamina: aditum illi ad immo-

talem nominis memoriam consequendam prohibebat, priusquam laboris Aedem ingressus noctes insomnes in virtutis arena desudaret. Romani olim totius Orbis Domini non ignari ad verum amplissimæ gloriæ fastigium virtutem sũmopere pertinere, illiusq; quosdam veluti antecessores vigilias & sudorem; pedisequas, verò, honorem & Gloriam: res pulchras in alto difficultatis apice, ac arduo molestiarum; vt hinc illarum excellentia eo magis spectanda elusceret, positas esse voluerunt: dum Honoris templum ingressuros in laboris primum domicilio, tum virtutis Sacrario commorari arbitrati sunt. Cum enim ante virtutem natura sudorem, ante præmium laborem posuerit, inhonestos esse ducebant honores, quos non assidua contentio, cura, & ĩdustria peperisset. Nec mirum magnificos quippè Heroes adeò laudis amor cõstrictos tenet, vt nihil durum, nihil asperum esse sentiant, quominus ad optatam illius possessionẽ veniant. Æterna quippè nominis Generosi recordatio nõ his potest comprehendi terminis, quibus vita mortalitatis, limitibus est conclusa. Hos vltra terminos viuunt viri, qui fastis commendantur, Annalibus inscribuntur, Famâ & immortalitate celebrantur. Ac quemadmodum odorifera Cedrus

licet ipsa cācellis & Sepibus circūdata corpori suo dilatando angustias patiatur, radices tamen suas altè defigit, & extra cancellos ramos exerit, nec eorū solum qui in horto manent animos grato odore afficit, verum etiā transeuntibus, magnam parit voluptatem: ita virtutis studiosos gloria, licet illi vitæ instabilis breuitate constringantur, & mortis quibusdam limitibus conclusi, amplos laboris sui fructus, in reliquos partiri non posiint, in æternos vt longæ posteritati niteant imitandū transcribit Fastos. Et hinc Herculem, commento Pöëtæ, Oetū montem conscendisse, ac ibi intincta Nessi sanguine, à Deianira coniuge missa veste indutū, flammis correptum, quidquid mortalitatis in se habuit in superas iussu Iouis deductū, sedibus his reliquisse. Liceat in re obscura commentis vti, ac virtuti Herculem, & virtutem Herculi comparare. Equidem communis omnium est vox gloriam in altis velut aquilā in inaccessisq; rupibus, ad quas tortuosa vestigia, anfractuosæ semitæ, non tritum iter, scopulis plenum, Syrtibus horrendum, sentibus & vepretis rigidum, consedisse. Quô non difficile cognitu venit, quid sit cur tam paucos inueniat Virtus amatores: siquidem Herculem opus est induat animosum, qui illā quærat;

cum humili nullatenus contingat viro: Herculeos exquirat lobores, cum modica abijciat, illustria expetat, vulgaria contẽnat, intentataq; desideret: Et certè pulchrũ est (inquit Poëta) digito monstrari & dicier hic est. Quidni pulchrum? dicã amplius necessarium; quia cum æqualitas contemptus & vilipendij mater sit, facilè nulla illis, quos Deus, & gloria virtutis comes ad summum dignitatis euexit fastigiũ exhiberetur veneratio. Digna semper virtus est, quæ & amorem simul omnium deuinciat, & authoritatem suam non imminuat. Digna est quæ & ametur & honoretur. Atq; vt aliquando dictionis meæ vela in immensum laudum tuarum Oceanum deducam, Perillustris Antistes, digna fuit virtus tua, quæ debitum pridem referret honorem. Volebat hoc illa ardens, & planè Diuina in promouendis Ecclesiæ Luceoriensis bonis prudentia, exigebat Regia in exornandis templis liberalitas, extorquebat in obito summa cum dexteritate munere sedulitas. Taceo quæ fuit in rebus gerendis solertia, quod pietatis studium, qui feruor, quæ vitæ integritas, quæ Diuinorum scientia, qui in sacerdotio candor, qui pietatis zelus, quæ etiam nunc omnibus imitanda religio. Mirum dictu est, quantum virtutes tuæ, omnium in sui

admi-

admirationem animos raperent, ora & oculos conuerterēt attraherent, amores allicerent. Equidem non fumum vendo, nec fucum (vt aiunt) puerilē offero, silere licet velit os, loquentur facta ipsa, tacere lingua cupiat, gesta sese prodent tua, & inuita etiam à musâ, quæ dignum laude virum vetat mori, rapient & extorquent Encomia. Nemo est qui non excelsam animi tui indolem admiretur, & honorem hunc quē tibi non minus genus ipsū aut stemmata sola maiorum (quanquā & illa grauia sunt) quam virtus omnibus nota cōtulit, non iustè datum gratuletur. Animaduertit sane probè nobilissimum totius Luceoriensis, Cleri collegiū, multas easq; maximas in te virtutum surgere segetes, magnas si nomen spectes, ampla si genus desideres, illustres si titulos quæras; magnificas si laborem cōsideres: pro quibus debitum hunc honorem Pontificium tibi contulisset. Nam in tuum nomen gratiæ omnes coniurarunt, atq; vt quondam Luna Endymionē, Venus Æneam, te Pallas & Minerua adamarûnt. Quid iam poterat desiderare amplius ad sui splendorem fama tua? Maiores vellet? illi amplissimi, toga, & sago clarissimi, Regibus cari, Ciuibus grati, Patriæ iucundi. Stemmata petysset, illa antiquissima, quæ Lunulas

alute

alutæ insutas, & annulos Equitum Romanorum, & Arcadum stirpes antecellunt. Parentum titulos cupiet? illos Clypei graues ostendunt, Aquilæ Illustres loquuntur, Annales, Polonici magnos Marte & arte conspicuos, bellicosos testãtur. Verum ad hæc omnia accessit tua illa maxima, & quæ sola est nobilitas candidissimi pectoris, virtus & integritas. Videbas quippè egregias maiorum imagines vitijs degenerum maculari, & quandam Ecclipsim afferre, splendidas Atauorũ statuas per nepotes obscuros, quorum vita assiduis hærens in tenebris humo sese in altum non possit erigere. Itaq; quo sanguine clarior eras, eo honestissimis studijs a prima adolescentia magis ornari cupiebas; ratus eum solum manere lauream, cui mens foret aurea; eum propagare præclaram ac eximiam Parentum memoriam, quem amor literarum, morum seueritas, disciplinæ grauitas, in honesti studio contineret. Præcesserant hæc õnia in te vt fulgur fulminis impetum, vt fax ardens, non iam aliquem seditiosum Paridem, sed vt Iulum Æneas, sed vt apes Platonem, & Mantuanum Poëtam, præsentem hanc tuam præeminentiam, ac te ad omnia summa natum, Illustrem futurum, prædicebant. Neq; vero vana spes delusit præconce-

ptas

ptas de te opiniones. Videt enim præclaros actus tuos, per quos aditus ad cœlum reseratur. Intuetur gesta nobilissima, quæ nulla ætas conticescet, miratur gloriam, gaudet Familia sanguine, velut vitim, palmite racemos hos experitos protulisse. Non possum non dicere, quos boni omnes, minimi, Maximiq; ob collatam hanc tuo Nomini dignitatem plausus sentiant, quo Ciuitas Luceoriensis, Olycensis, Tykocinensisq; gestiat tripudio, quo vniuersi Tractus Volhinensis Incolæ gaudio efferantur. Parietes ipsi medius fidius nouo quodam lætitiæ genere induti, oblatos honores gratulantur, Festos dies edicunt, ac vltro in laudes tuas erumpunt. Non commemoro quos gaudiorum motus Ecclesia tua viduata olim Pastore vigili; assiduo luctu contabescens, Pullato induta pallio, iam nunc ob restitutum Antistem præseferat & in te vno Nestoras illos Poloniæ Macieiouios, Gomolinscios, Szyszkouios, Volucios, Lipscios, De cora volhiniæ, Vdrzycios, Zaierscios, reuixisse gloriatur. Et certe talia merebatur præmia virtus tua, quæ vt occulto annorum spatio in immensũ excrescit arboris longitudo, sic illa nõ iã occultis, sed apertissimis laborum argumentis, in altissima elata fastigia succrescebat. Neq; prius in gradibus

ipsis

ipſis difficultatum moleſtiis perterita, (quod animæ viles facere ſolent) conquieuit: antequam ad eum perueniret locum, quo vt ille Hercules, obliuione mortali depoſita, in ſublimem honoris apicem euectus, ſummo cum omnium ſtupore, & admiratione conſcenderes. Eſt iam quod voluit, ac quod tam diu in votis tenuit, tibi oblatum vnanimi omnium aggratulatione communibus auſpiciis, vno ore Infulā honorificentiſsimè gratulatur. Reliquum & id meum eſt in tam feſtiuis plaudentium vocibus, tibi bene vellè, benè comprecari. Si enim difficilè eſt ſilentio obmuteſcere, cum doleas: non in lacrymarum fluuios erumpere, cum intollerabilis anxietatis mæror intimum rodat pectus: profecto non indebitis efferri plauſibus, cū lætitiâ præconceptâ geſtiat animus, longe erit difficillimum. Summa vis doloris eſt, qui frenum in luctu non patitur, nec conſolationem admittit in lacrymis. Magna amoris potentia, qui in ignibus ſuis neſcit modum, & tunc ſe ſibi ſatiſfacere putat, cum amoris terminum non admittit: quorum alterum Euchedi muto vocem aperuit, alterum Athi præcluſos linguæ ſinus reſerauit. Verum lætitiæ ſtimulus talis eſt, vt in medio etiam triumpho vitam in Olympicis ouationibus ſalu-



temq; eripiat. Iam cum vox cordis sit testis, & id verbo promitur, quod cogitatione percipitur, accipies hoc Perillustris & Reuerendissimæ Antistes lætitia gestientis, ob collatam tibi noui honoris amplitudinem animi mei Symbolum, Equidem ieiunitatis conscium leuidenseq;, sed tu pro innata erga omnes animi propensione, Persam imitatus, pugillũ hunc aquæ, ex Castalio Fonte deriuatum in aureum grati animi vas repone, meque ipsum cum hac immatura gratulationis imbecillitate, in grauem conspectum tuũ prodeuntem, qua soles gratia & Fauore, complectere.



